№ 15. Dodatek do Tygodnika katolickiego. № do 32.

ARCHIDIECEZYA LWOWSKA

(Korespond.) **Lwów**, 16. Lipca 1862.

Posyłam wam list pasterski Jego Excelencyi JWX. Metropolity Lwowskiego obrządku grecko-katolickiego, Grzegorza Barona Jachimowicza wydany po łacinie do kleru swego dnia 25. Maja 1862. z powodu ogłoszenia Encykliki Ojca św. ad Episcopos Orientales.

Uszanowanie dla tak wysokiego dostojnika i tak sędziwego starca nie pozwala mi wchodzić w szczegółowy rozbiór tego dokumentu, który smutkiem napełnił nas wszystkich. „*Gazeta Narodowa*" we Lwowie wychodząca zamieściła w Nr. 32. stosowne, jakkolwiek przedmiotu nie wyczerpujące uwagi. — To pewna, że list ten nie przyczyni się do usunięcia nieporozumień między duchowieństwem łacińskiém i ruskiém istniejących, — przeciwnie obawiać się należy, że takowe w zatrważający sposób powiększy. — Duchowieństwo bowiem łacińskie będzie uważać ten list jako wezwanie do zanoszenia swych (słusznych czy urojonych) żalów księży rus. przeciw łacińskim, otwarte pole do denunciacyi, nawet na polu polityczném i to nie przed trybunałem swego właściwego zwierzchnika, ale JWX. Metropolity ruskiego. — Nie miałoby wprawdzie nasze duchowieństwo powodu lękać się tych denunciacyi, gdyby takowe miały być bezstronnie zbadane: ale zanadto przywykło ono do tego, że najdziwniejsze skargi Rusinów znajdują wiarę, skoro są wymierzone przeciw łacinnikom. Nasze duchowieństwo, ostatniemi czasy z powodu obudzonych ruchów narodowych, bardzo mały brało udział w sprawach publicznych, za co też sute reprymendy od naszych gazeciarzy sobie ściągnęło — a przecież widzi się w tym liście podejrzywaném o latinizowanie w celu polonizowania Rusinów, podczas gdy według zeznania samych Rusinów, duchowieństwo ich najgłówniejszym (podobno jedynym) jest przewodnikiem ruchu ich narodowego. Trudnażby to była rzecz dla naszych księży, przeciągać Rusinów na obrządek łaciński. Nasi księża po największéj części mają siedzibę po miasteczkach, gdzie i tak pospolicie większość ludności jest obrządku łacińskiego: propaganda więc ich alboby nie miała żadnego pola, albo przynajmniéj musiałaby się ograniczać na miasteczku, bo do wsiów inkorporowanych, których każdy proboszcz łaciński ma kilka, kilkanaście, a wielu po 20 lub 30 o kilka mil odległych, bardzo rzadko może exkurrować, a tam chłop ruski mając księdza ruskiego na miejscu, lub przynajmniéj bardzo blizko, nie widziałby dla siebie korzyści z przyjęcia obrządku łacińskiego, bo wie, że z każdym chrztem, pogrzebem itd. musiałby jeździć o milę, dwie, trzy lub więcéj do łacińskiego proboszcza. — Proszę sobie wyobrazić położenie takiego proboszcza łacińskiego, który w obrębie swéj parafii ma kilku albo kilkunastu księży ruskich? a jeżeli dotąd żył z niemi po bożemu, czyż ów list pasterski nie obudzi w nim nieufności do nich? czyż nie będzie w nich widział nastawionych na siebie cenzorów, którzy z każdego jego słowa mają przesyłać rapporta? któż zapewni, czy z téj nieufności nie wyrodzi się chęć użycia repressaliów, czy nawzajem nie zechcą przesyłać raportów o nadużyciach księży ruskich do swego konsystorza? a jakie dalsze ztąd skutki? — Dziś już duchowieństwo łacińskie w obec szerzących się coraz bardziéj innowacyi w liturgii ruskiéj, pomimo ogólnego zakazu X. Metropolity listem pasterskim z dnia 10. Stycznia 1862. wyrzeczonego, w obec zwyczajów schizmatyckich ciągle wprowadzanych, musi widzieć zagrożony katolicyzm naszych Rusinów, bo wszakże i w Rossyi takie same symptomata poprzedzały nieszczęsny rok 1839. — dziś już wielu sądzi, że te tylko dusze ocalają wierze katolickiéj, które są w obrządku łacińskim, a jeżeli w obec tych objawów księża łacińscy istotnie zaczęliby ułatwiać przejście na obrządek łaciński, byłaby to może przedwczesna gorliwość, ale zaprawdę nie mogłaby być poczytaną za chęć polonizowania.

GREGORIUS L. B. JACHIMOWICZ,

Divina Miseratione et S. Sedis Apostolicae Authoritate Metropolita Haliciensis, Archiepiscopus Leopoliensis, Episcopus Kamenecensis C. R. Ordinis Leopoldi Commendator, Sacrae Caesaraeo-Regiae et Apostolicae Majestatis actualis intimus Consiliarius, Philosophiae, AA. LL. et S. Theologiae Doctor.

Venerabili Archidioecesano saeculari et regulari Clero salutem in Domino!

In Apostolicae Dignitatis apice positus, omnesque Dominici agri partes in Occidente et Oriente, in Austro et Aquilone, quasi de montis vertice inspiciens, ac quidquid Ecclesiarum omnium conditioni et firmamento conveniat, dijudicans Sanctissimus Dominus Noster Pius, Divina provindentia Papa IX. gravissimam ad Antistites Ecclesiarum ritus Orientalis, Gratiam et Communionem cum Apostolica Sede habentes, nuper direxit encyclicam epistolam, quam festinamus Vobis, dilectissimi in Christo Fratres, in notitiam deducere, ut Suae Sanctitatis Apostolicam benignitatem curam et sollicitudinem sicuti erga Occidentales ita etiam erga Orientales, et inter hos quoque erga nos Ruthenos non tam perspiciatis quam potius manibus palpetis.

Commemorata epistola encyclica Suae Sanctitatis per extensum sonat.

Sanctissimi Domini Nostri PII divina providentia

PAPAE IX.

Epistola Encyclica

ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos Ecclesiarum ritus Orientalis, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes.

Romae. MDCCCLXII.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis Ecclesiarum ritus Orientalis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

Pius PP. IX.

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Amantissimus humani generis Redemptor Christus Dominus Unigenitus Dei Filius volens, ut optime nostis, Venerabiles Fratres, omnes homines a daemonis captivitate, et a peccati jugo vindicare, eosque de tenebris in admirabile lumen suum vocare, et salvos facere, cum delesset, quod adversus nos erat, chirographum decreti, affigens illud cruci, catholicam Ecclesiam suo sanguine acquisitam tanquam unam *domum Dei vivi*[1]), unumque *regnum caelorum*[2]), vel unam *civitatem supra montem positam*[3]), aut *unum ovile*[4]), ut *unum corpus uno spiritu* consistens vigensque, et una fide, spe, caritate, et unis eisdemque sacramentorum, religionis, doctrineque vinculis compactum et coagmentatum[5]) conformavit, constituit, et rectoribus a se nominatis ac delectis instruxit, eamque ita a se conformatam et constitutam, quandiu mundus ipse non intereat et concidat, permanere, et omnes universi terrarum orbis populos, nationes complecti decrevit, ut cujusvis gentis homines divinam suam religionem et gratiam acciperent, quam ad extremum usque spiritum retinentes aeternam adipiscerentur salutem et gloriam. Ut autem haec fidei, doctrineque unitas semper in sua servaretur Ecclesia, Petrum ex omnibus selegit unum, quem Apostolorum Principem, suumque in terris Vicarium, et inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum et caput constituit, ut cum honoris gradu, tum omni praecipuae auctoritatis, potestatis et jurisdictionis amplitudine caeteris omnibus quam maxime praestans pasceret oves et agnos, confirmaret Fratres, atque universam regeret et gubernaret Ecclesiam. Cum autem Christus hanc suam Ecclesiam unam et immaculatam usque ad consumationem saeculi permansuram voluerit, et unam fidem, unam doctrinam, ac regiminis formam servandam esse mandaverit, tum quae Petro dignitatis, potestatis ac jurisdictionis amplitudo, fideique integritas, ac stabilitas data, eadem prorsus ejusdem Petri successoribus Romanis Pontificibus et tradita, qui in hac Romana ipsius Petri Cathedra collocantur, et quibus in persona Beatissimi Principis Apostolorum ab ipso Christo Domino suprema totius Dominici gregis cura divinitus est commissa, ac supremum universalis Ecclesiae Regimen demandatum. Ac Vobis apprime compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres, quomodo hoc divinae nostrae religionis dogma unanimi ac perenni Synodorum Patrumque mente ac voce fuerit semper praedicatum, defensum, et inculcatum. Siquidem ipsi nunquam cessarunt edocere „unum esse Deum, unum Christum, unam Ecclesiam, et cathedram unamsuper Petrum Domini voce fundatam[6]), cui tanquam petrae, lapidique firmissimo tota quanta quanta est christianae reipublicae moles divinitus est superinstructa[7]). Enimvero haec Petri Cathedra et dicta semper et habita, quae unica est et prima de dotibus[8]), quae per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet[9]), queque radix et matrix unde unitas sacerdotalis exorta[10]), quae omnium Ecclesiarum non modo caput sed mater et magistra[11]), ac pietatis metropolis, in qua est integra christianae religionis, ac perfecta stabilitas[12]), et in qua per Apostolicae Catherae viguit Principatus[13]), quaeque illi innixa est petrae, quam superbae non vincunt inferrorum portae[14]), et

---

1) I. ad Timoth. III. 2) Math. XIII. ac saepe alias. 3) Math. V. 4) Ioan X. 5) Ephes. IV. tum alibi. 6) S. Cyprian. Epist. 40. 7) S. Cyrill. Alexand. in Ioan. Lib. II. c. 42. 8) S. Opat. Milevit lib. II. cont Parmen. 9) Synod. Nicaen. II. Act. 2. 10) S. Cyprian. Epist. 15. et 55. 11) Pelag. II. Epis. I. ad Episcop. Oriental. et Synod. Tridentin. Sess. VII. de Baptism. can. 3. 12) Liter. synodic. Ioan. Constantinopolit. ad Hormisd, Pont. et Sozom. Histor. lib. III. cap. 8. 13) S. Aug. Epist. 162. 14) S. Aug. in psalm contra part. Denat.

cui totam doctricam Apostoli cum sanguine profuderunt[15]), ex qua in omnes venerandae communionis jura dimanant[16]), ad quam omnis obedientia et honor est deferrendus[17]) quam qui deserit, in Ecclesia frustra esse confidit[18]), extra quam qui comederit agnum profanus est[19]). Atque insuper Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem[20]), Petrus, qui ad hoc usque tempus, et semper in suis Successoribus vivit, et judicium exercet[21]), ipse per Leonem loquutus est[22]). Romanus Pontifex, qui in universum orbem tenet Primatum, Romanus Pontifex, qui in universum orbem tenet Primatum, Successor est Beati Petri Apostolorum Principis, et verus Christi Vicarius totiusque Ecclessiae caput, et omnium christianorum Pater et Doctor existit"[23]), et alia fere innumera ex luculentissimis testibus deprompta, quae clare aperteque edocent, ac declarant, quanta fide, religione, observantia et obedientia hanc Apostolicam Sedem, Romanumque Pontificem ii omnes prosequi omnino debent, qui ad veram, unicam sanctamque Christi Ecclesiam pertinere volunt, ut aeternam assequantur salutem.

Jam vero catholicae Ecclesiae unitati nihil plane adversatur multiplex sacrorum legitimorumque rituum varietas, quin immo ad ipsius Ecclesiae dignitatem, majestatem, decus ac splendorem augendum maxime conducit. Neminem autem Vestrum latet, Venerabiles Fratres, quomodo nonnuli incautos praesertim et imperitos decipere, et in errorem inducere nitantur, hanc Sanctam calumniantes Sedem, perinde acsi ipsa dissidentes Orientales ad catholicam fidem excipiens velit, ut ii proprium deserant ritum, ac illum latinae Ecclesiae amplectantur. Quod quidem quam falsum sit et a veritate alienum evidentissime ostendunt, ac testantur tot Decessorum nostrorum Constitutiones et Apostolicae Litterae, ad ecclesiastica Orientalium negotia spectantes, quibus iidem Praedecessores Nostri non solum constanter declararunt, id sibi in animo nunquam fuisse, verum etiam professi sunt, se omnino velle, ut Orientalium Ecclesiarum ritus, in quos nullus circa catholicam fidem, vel morum honestatem irrepsisset error, sarti ac tecti haberentur. Quibus repetitis clarissimisque Decessorum Nostrorum declarationibus plane respondent tum vetera, tum recentia facta, cum dici nunquam possit hanc Apostolicam Sedem vel Sacrorum Antistitibus, vel Ecclesiasticis viris, vel populis Orientalibus ad catholicam unitatem reversis praecepisse, ut suum legitimum ritum mutarent. Atque universa Constantinopolitana civitas nuper vidit, quomodo Venerabilis frater Meletius Archiepiscopus Dramensis, qui cum summa animi Nostri consolatione, et omnium bonorum gaudio ad Catholicae Ecclesiae gremium rediit, proprio ritu, ac solemnibus caeremoniis et pompa rem divinam magna populi frequentia peregerit. Itaque, Venerabiles Fratres, pro eximia vestra episcopali solicitudine ne desinatis vestrarum Dioecesium Clero etiam atque etiam inculcare, ut opportunis quibusque modis detegere ac refellere studeat calumniam, qua malevoli homines imperitorum animos in errorem inducere, et invidiam odiumque contra hanc Apostolicam Sedem excitare conantur.

Nos porro cum in hac Petri Cathedra arcano divine providentiae consilio collocati ad supremum universae Christi Ecclesiae regimen evecti simus, Nostram omnem spem et fiduciam in Christo Jesu habentes Apostolici Nostri ministerii partes implere contendimus, veluti a Nobis postulat instantia quotidiana, et solicitudo omnium Ecclesiarum. Siquidem divino Illius auxilio freti, cujus vicariam hic in terris licet immerentes gerimus operam, et qui dixit: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, et confirmavit, inferi portas contra Ecclesiam suam nunquam esse praevalituras, nihil metuimus tot nefarias sacrilegasque molitiones, conatus et impetus, quibus in hac tanta temporum iniquitate inimici homines catholicam religionem, si fieri unquam posset, funditus evertere conniuntur, sed spirituali omnium gentium bono et saluti consulere non desistimus. Etenim charitas Christi urget Nos, ac nihil Nobis potius esse potest, quam ut omnes curas, labores, consilia libentissime suscipiamus, quo omnes populi occurant in unitatem fidei, et crescant in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Jesu Christi, „qui est via et veritas et vita, via scilicet conversationis sanctae, veritas doctrinae divinae, et vita beatitudinis sempiternae"[24]). Neque vero Vos ignoratis, Venerabiles Fratres, quo singulari amore, et assiduo studio paternas Nostras curas ad istam electam Dimici gregis partem vestrae vigilantiae commissam, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio contulerimus, atque ex recentissimis Nostris Litteris, Annulo Piscatoris obsignatis, et VIII Idus proximi mensis Januarii editis magis magisque intelligere potuistis, quam vehementer Nobis cordi sit istarum Orientalium Ecclesiarum bonum, utilitas ac prosperitas. Namque iisdem Litteris peculiarem ex Congregatione fidei propagandae conflatam Congregationem constituimus, quae eidem Congregationi Fidei propagandae tot assiduis gravissimisque occupationibus pene obrutae majori sit auxilio, quaeque operam ab ipsa Fidei propagandae Congregatione hactenus omni studio, ac summa cum laude praestitam ita exerceat, ut omnia Orientalium Ecclesiarum negotia unice tractanda et expedienda curet. Ea prefecto spe sustentamur fore ut, Deo bene juvante, ex hujusmodi Nostro consilio et sollicitudine in omnes Orientales Nationes spiritualis utilitas quotidie magis redundet. Etenim plane confidimus hanc novam specialem Congregationem nuper a Nobis institutam nihil unquam juxta Nostra desideria intentatum esse relicturam, quod in vestris tractandis negotiis ad catholicam unionem magis in dies promovendam, ad vestrarum Ecclesiarum felicitatem augendam, ac vestrorum legitimorum rituum integritatem tuendam, atque ad majorem fidelium spiritualem utilitatem procurandam quovis modo possit pertinere.

Verum ut haec Congregatio omni cura et industria demandatum sibi a Nobis munus exercere, suosque labores et studia in majorem istarum Ecclesiarum prosperitatem conferre possit, opus omnino est, ut optime noscat spirituales Orientalium nationum indigentias, quibus opportune ac provide sit consulendum. Et quoniam Vobis, Venerabiles Fratres, apprime nota est conditio et status gregis curae vestrae traditi, iccirco pro vestra sapientia probe nostis, maxime oportere, ut de rebus omnibus, quae vestras Ecclesias, vestrumque gregem respiciunt, majore, qua fieri potest, celeritate Nos deligentissime certiores facere velitis, et accuratam de vestrarum Dioecesium statu relationem mittatis, in qua sedulo exponatur quidquid ad ipsas Dioeceses spectet, quo fidelium in eisdem Dioecesibus degentium necessitatibus omni cura prospicere possimus. Smma certe erit Nostra consolatio, si quisque Vestrum, Venerabiles Fratres, omnes suae propriae Dioecesis res sedulo ad Nos referens significaverit, quot fideles in ipsa versentur Dioecesi, quot sint ecclessiastici viri, qui proprii ministerii munia obeuntes ipsis fidelibus adsistant, quae eorumdem fidelium agendi ratio tum quoad fidem tum quoad morum honestatem, qua doctrina clerus sit praeditus, quaeque ipsius cleri educatio, et quomodo populus ad sanctissimam nostram religionem, morumque disciplinam instituatur, et qua ratione populus idem ad pietatem morumque probitatem quotidie magis conformari et excitari queat. Optamus etiam summopere agnoscere, qualis sit vestrarum scholarum conditio, et qua frequentia illas juventus adire soleat. Cum vero probe sciatis Venerabiles Fratres, omnes rei cum sacrae, tum publicae spes positas esse in recta, salutari ac religiosa puerorum educatione, iccirco maxime interest, ipsos vel a teneris annis catholicas celebrare scholas, quo divinae nostrae religionis veritatem, ac praeceptiones sedulo discentes a periculo amoveantur ne tenerae eorum mentes pravis imbuantur principiis. Neque omittatis Nobis manifestare, si libris indigeatis, ac simul exponere qui potissimum libri ex vestra sententia et cleri doctrinae curandae, et populi institutioni promovendae, et acatholicorum placitis confutandis, et fidelium pietati fovendae magis opportuni esse possint. Insuper cum acceperimus, in aliquibus locis liturgicos ac rituales adhiberi libros, in quos vel aliquis irrepsit error, vel aliqua ad arbitrium invecta immutatio, Vestrum erit Nobis patefacere, qui libri apud Vos adhibeantur, itemque dicere si hujusmodi libri aliquo tempore fuerint ab hac Sancta Sede approbati, vel si ex vestro judicio errores corrigendos contineant, atque etiam si quae dubia dirimenda habeatis, vel si adsint abusiones tollendae. Atque etiam praecipue expetimus a Vobis accipere, quos in vestris Dioecesibus progressus habeat sancta catholica unio, quae impedimenta eidem obstent, quibusque oppotunioribus modis hujusmodi impedimenta amoveri possint, ut ipsa unio magis in dies promoveatur et augeatur.

Videtis profecto, Venerabiles Fratres, quanto amore, quantoque studio istas orientales prosequamur Ecclesias, et quam vehementer optemus, ut in orientalibus populis sanctissima nostra fides, religio, pietas maiora in dies incrementa suscipiat, ac vigeat et efflorescat. Ac certi sumus, Vos pro episcopalis vestri ministerii munere, et pastorali zelo vestras omnes curas cogitationesque in divina nostra religione tuenda et propaganda, atque in vestri gregis salute curanda studiosissime impendere. Cum vero inimicus homo hisce praesertim luctuosissimis temporibus non cesset in Dominico agro superseminare zizania tum pestiferis libris et ephemeridibus, tum monstrosis quibusque opinionum protentis, quae catolicae fidei ac doctrinae plane adversantur, iccirco probe intelligitis, quanta sollicitudine, vigilantia, et constantia Vobis sit allaborandum et excubandum, ut fideles Vobis commissos ab hisce venenatis pascuis arceatis, et ad salutaria propellatis, eosque catholicae Ecclesiae doctrina maiorem in modum imbuatis. Ut autem id facilius assequi valeatis, animarum Curatorum praesertim zelum assidue excitare ne intermittatis, Venerabiles Fratres, ut ipsi suo munere deligenter fungentes nunquam desinant evangelizare Dei evangelium sapientibus et insipientibus, et omni sacrorum ope christianam plebem sibi commendatam iuvare, ac pueros praesertim, et rudes homines

[15]) Tertull. de praescript. c. 36. [16]) S. Ambros. Epist. 12 ad Damas. [17]) Conc. Ephesin. Act. IV. [18]) S. Cyprian. do unit, Ecclesiae. [19]) S. Hieronym. Epist. 51. ad. Damas. [20]) S. Petrus Chrysol. Epist. ad Eutich. [21]) Synod. Ephs. Act. 3. [22]) Synod. Chalced. Act. 2. [23]) Concil. Florentin, in Decreto union. Graecorum. [24]) Leo Serm. II. de Resurrect. Domini.

catholicae fidei documenta, morumque disciplinam patienter, amanterque docere, omnesque continenter exhortari in doctrina sana, ne circumferantur omni vento doctrinae. Omnes quoque vestrarum Dioecesium Presbyteros semper monete, ut animo serio reputantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud sedulo implendum curent, ut virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, orationi instent, ac sacras praesertim disciplinas assidue excolant, et in sempiternam fidelium salutem procurandam totis viribus incumbant. Atque ut facilius navos at industrios operarios habere possitis, qui in vinea Domini excolenda auxiliariam Vobis operam in tempore exhibere valeant, nullis parcite curis, nullisque consiliis, Venerabiles Fratres, ut adolescentes clerici vel ab ineunte aetate per lectissimos magistros ad pietatem, verumque ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac litteris et disciplinis praecipue sacris ab omni cujusque erroris periculo omnino alienis diligentissime erudiantur. Equidem haud ignoramus, Venerabiles Fratres, quae quantaeque sint difficultates, quibus in episcopali vestro ministerio exercendo obnoxii estis. Sed confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus memoria repetentes, Vos pro Christo legatione fungi, qui tradidit animam suam pro ovibus suis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius.

Nemo vero ignorat quanto usui et ornamento catholicae Ecclesiae in Oriente fuerint Religiosae Monachorum Familiae. Namque ipsae vitae integritate, morumqne gravitate, ac religiosae disciplinae laude spectatae, et bonorum operum exempla fidelibus exhibere, et juventutem instituere et litteras ac disciplinas excolere, et auxiliariam utilemque Sacrorum Antistitibus operam navare studebant. Tristissimis autem rerum ac temporum vicibus hae sacrae Familiae de christiana et civili republica egregie meritae in aliquibus locis vel a proprii Ordinis disciplina declinarunt, vel omnino extinctae fuerunt. Cum autem magnum emolumentum sanctissimae nostrae afferretur religioni, si hae Sacrae Familiae, ubi praesertim interierunt, denuo reviviscerent, et inter orientales nationes pristino fulgerent, splendore, iccirco a Vobis exposcimus, ut Nobis significetis, quid de hac re sentiatis, et qua ratione hujusmodi Sacrarum Familiarum instauratio effici possit.

Persuasissimum Nobis est, Vos, Venerabiles Fratres, non solum hisce Nostris desideriis ac postulationibus alacri ac libentissimo animo esse satisfacturos, verum etiam singularii diligentia expositeros alia omnia, quae ex vestra sententia ad majorem in istis regionibus sanctissimae nostrae religionis, ac tum cleri tum populi fidelis utilitatem procurandam sint peragenda. Cum autem ex Encyclica Cardinalis Praefecti Nostrae Concilii Congregationis epistola noveritis, gratissimum Nobis fore Venerabilium Fratrum Sacrorum Antistitum praesentia frui in solemni plurium Sanctorum Canonizatione, quam proximo Pentecostes die, Deo favente, celebraturi sumus, tum ea spe nitimur fore, ut hac occasione, si vestrarum Diocesium rationes permittant, vos praesentes intueri, amanterque complecti, et a Vobis ipsis earundem Dioecesium relationes accipere possimus. Interim vero pro eximia vestra pietate, et episcopali zelo pergite, Venerabiles Fratres, majore usque alacritate et contentione ministerium vestrum implere, et omni studio vestrorum fidelium saluti prospicere, eosque etiam atque etiam monere et exhortari, ut in catholicae religionis professione magis in dies stabiles et immoti persistant, et omnia Dei, ejusque Sanctae Ecclesiae mandata religiose costodiant, et ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Consueta autem vestra benignitate eos paterno affectu excipite, qui cum ingenti animi Nostri laetitia ad catholicae Ecclesiae gremium redeunt, et omnem impendite curam, ut illi magis in dies amanter enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati in sancta vocatione immobiles permaneant, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, atque instent viam, quae ducit ad vitam. Ac pro egregia vestra religione nunquam desinite omnia conari, ut in omni bonitate, patientia, doctrina, mansuetudine, lenitate miseros erran tes Christo lucrifacere, atque ad unicum eius ovile reducere, et in spem aeternae haereditatis restiture possitis. Inter angustias vero et difficultates, quae hisce potissimum asperrimis temporibus ab episcopali vestro munere abesse non possunt, confidite in gratia Domini Nostri Iesu Christi prae occulis habentes, quod qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Denique, Venerabiles Fratres, pro certo habeatis velimus, praecipuam esse, qua Vos in Domino prosequimur, benevolentiam. Atque interim haud omittimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione a Deo Optimo Maximo humiliter enixeque petere, ut uberrima quaeque suae Bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves vigilantiae vestrae commissas copiose descendant. Atque horum auspicem, et propensissimae Nostrae in Vos voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque clericis, laicisque fidelibus cujusque Vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 8 Aprilis Anno 1862.

Pontificatus Nostri Anno Decimosexto.

Haec itaque plena Apostolici zeli verba Beatissimus Pater Pius Papa IX ex altissima in universam Ecclesiam, sanguine amantissimi generis humani Redemptoris Jusu Christi acquisitam, Primatus Sui Romana Sede Nobiscum communicare dignatus est, ex quibus habemus, quod unitati catholicae Ecclesiae nihil plane adversetur multiplex sacrorum legitimorumque rituum varietas, quodque hi varii ac legitimi ritus ad ipsius Ecclesiae dignitatem, majestatem, decus et splendorem augendum conducant. Quare etiam s. Sedes Romana Orientalium Ecclesiarum ritus, in quos nullus circa catholicam fidem vel morum honestatem irrepsisset error, sartos tectosque habet, neque intendit, ut Orientales in unitate catholica suos legitimos ritus mutent, aut eos deserant, ac illum latinae Ecclesiae amplectantur. Imo Sua Sanctitas expresse declarat, contrarias assertiones esse calumniam, qua malevoli homines imperitos decipere, eorum animos in errorem inducere, et invidiam odiumque contra Apostolicam Sedem excitare conantur. Interprete jam omni exceptione majore, utpote ipso supremo Ecclesiae catholicae Legislatore, ipsa Sanctitate Sua hic et non alius est sensus Constitutionum et Apostolicarum Litterarum, ad Ecclesiastica Orientalium negotia spectantium, quibus tum vetera tum recentia facta respondent, quale nuper vidit universa Constantinopolitana civitas ex occassione renovatae per Archiepiscopum Dramensem Meletium unionis Bulgarorum cum s. Romana Ecclesia. Quae ex Litteris Suae Sanctitatis repetere putavimus ideo, ut secundum requisitionem Suae Sanctitatis vobis etiam atque etiam inculcemus, quatenus haec exponantur a vobis populis, curae Vestrae concreditis fine consolidandi eos eo magis in unitate catholica, quod e sacro suggestu facietis, et quatenus contrariam calumniam detegatis ac refellatis, quae teste tristissima experientia non colligit sed dissipat, non bonum Ecclesiae catholicae respicit, sed longe alia consilia meditatur.

Reasumens illam Praedecessorum Suorum quoad Orientales Ecclesias earumque legitimos ritus oeconomiam Sanctitas Sua ab ipso supremi Sui Pontificatus initio, litteris Suis, sub VIII Idus proximi mensis Januarii editis, et annulo piscatoris obsignatis, in perenne documentum, quam vehementer Sibi cordi sit Orientalium Ecclesiarum bonum, utilitas et prosperitas, constituit peculiarem ex Congregatione fidei propagandae Congregationem, quae eidem Congregationi fidei propagandae, tot assiduis gravissimisque occupationibus pene obrutae, majori sit auxilio, quaeque operam, ab ipsa fidei propagandae Congregatione hactenus omni studio ac summa cum laude praestitam, ita exerceat, ut omnia Orientalium Ecclesiarum negotia unice tractanda et expedienda curet, quatenus secundum consilia et sollicitudinem Suae Sanctitatis, Deo juvante, spiritualis utilitas omnium Orientalium nationum quotidie magis promoveatur, siquidem Sua Sanctitas confidit, hanc novam specialem Congregationem nuper a Se institutam nihil unquam juxta Sua desideria intentatum esse relicturam, quod in tractandis Orientalium negotiis ad catholicam unionem magis in dies promovendam, ad eorum Ecclesiarum prosperitatem augendam, ac eorum legitime introductorum rituum integritatem tuendam, atque ad majorem fidelium spiritualem utilitatem procurandam quovis modo pertinere arbitrabitur.

Quis Vestrum, dilectissimi in Christo Fratres, non videt ex dictis saluberrimam destinationem neoinstitutae a Sua Sanctitate specialis Congregationis pro Orientalibus? Quis exinde non intelligit, bonum, utilitatem et prosperitatem Orientalium Ecclesiarum vehementissime Suae Sanctitati cordi esse? Nobis profecto restat Deum orare, ut iis, quae Sua Sanctitas plantavit, det incrementum. Neque Nostra ex parte in ferendo illo adjutorio possumus tardare, quod Sua Sanctitas a Nobis requirit, ut haec Congregatio optime noscat spirituales Nostrae Ruthenae nationis indigentias, quibus opportune et provide sit consulendum, atque omni cura et industria demandatum sibi munus exercere, suosque labores et studia in majorem Ecclesiae Nostrae Ruthenae prosperitatem conferre possit.

Requisitiones istae habentur in praesenti epistola Suae Sanctitatis specificatae, utque eis satisfacere valeamus, necessarium duximus, de nonnullis adhuc Vestras habere informationes, ex immediata observatione, experientia et intuitione rerum locali promanantes, et quidem circa sequentia objecta: Quae in ipsius cleri nostri educatione secundum indigentias nationis et ritus nostri graeco-slavici adhuc desiderentur? Numne praelectiones saltem aliquarum, et quarum praeprimis materiarum theologicarum in linguis ecclesiastico - slavica et ruthena ad majorem dexteritatem cleri nostri, obeundi munia sua spiritualia et ecclesiastica, magis conducerent, quam obtinentes modo in lingua latina praeter illas unicas ex Theologia pastorali? Qui sunt defectus librorum pro comb'hendo (!) studio theologico in praesentiarum (!) praescriptorum? Quare in lingua nostra patria non habeantur sufficientes libri pro aedificatione populi fidelis in doctrina religiosa? Quae facerent ad pietatem morumque probitatem populi Nostri quotidie magis confirmandam et excitandam? Quid adjuvaret majorem frequentiam scholarum nostrarum nationalium ex parte juventutis?

Numne in scholis nationalibus his, quae etiam a fidelibus nostri ritus sustentantur, sed sub inspectione Consistorii Archiepiscopalis ritus latini existunt, juventus ruthena ritusque noster non experiantur damna? Quas deformitates, contradictiones et discrepantias per singulas nostras Ecclesias attraxit ritus noster ex illo imprudente zelo, cum in favorem Polonorum latinisandi? Quae s. Unio nostra experitur impedimenta, quominus eluctari possit ex sua debilitate, et in oculis Occidentis et Orientis necnon ipsorum Unitorum debitam sibi nanciscatur aestimationem et venerationem, qua olim Ecclesiae Orientales, communionem cum s. Sede Romana foventes, fruebantur, quibusque opportunioribus modis hujusmodi impedimentis efficacius occurri posset, ne circumdantes nos Orientales, a praefata communione seperati, scandalum et ansam sumant perhorrescendi s. Unionem et Latinos, acsi iidem s. Unionem tractarent qua medium, eo facilius obtrudendi Orientalibus et speciatim nostris Ruthenis latinum ritum, eosque huic ritui, postpositis omnibus legibus Ecclesiasticis, aggregandi? Hic accludendae sunt consignationes eorum, qui ex ritu nostro in singulis Curatiis illegaliter ad ritum latinum per clerum polonum suscepti sunt cum provocatione ad testimonia librorum metricalium, quod ad ritum nostrum pertineant. Insuper exhibendum est, num in matrimoniis mixti ritus partes ritus nostri per clerum polonum non latinisentur, numque idem clerus non adversetur meundis matrimoniis mixti ritus, quando non praevidetur latinisatio partium nostri ritus? Qualia adhibentur a clero polono media, cujusque generis argumentationes adducuntur, ut fideles nostri ritus permoveantur transire ad ritum latinum? Num Clerus polonus ritus latini ritum nostrum debite aestimet et observare soleat constitutiones Apostolicas, quae correlationes utriusque ritus ordinarunt? Num jus patronatus et praesentationis, quod Domini terrestres latini ritus super Ecclesias nostras Ruthenas exercent, tractetur ita, prouti juxta praescripta Ecclesiae tractari deberet, numque fundationes Ecclesiarum nostrarum in agris ex parte Dominorum Patronorum non violentur? Unde promanant cavillationes et denuntiationes Polonorum, quod Rutheni graeco-catholici in Galicia gravitent ad schisma Orientale et ad Moscovitismum? Num ad eas faciendas non intercedant politicae combinationes Polonorum, quas sub specie religionis et catholicitatis fieri notavit Sanctitas Sua in litteris ad Archiepiscopum Leopoliensem ritus latini die 17 Martii anno 1862 datis, ut nempe tali ratione Rutheni in Galicia priventur gratia s. Sedis Romanae et regiminis Austriaci? De his et aliis similibus cupimus informari et quidem eo magis, quia Consistorium Nostrum Metropolitanum hujus generis querelis Vestris obruitur, in quibus Vos ipsi auxilium S. Sedis Romanae implorandum esse judicatis, ut desuper certam notitiam Sanctitati Suae praestemus, quatenus malo obex ponatur. Itaque ordinamus, ut non solum singuli Vestrum sed etiam Decanales Vestrae Congregationes, per A. R. Decanos ad hoc quantocyus convocandae, re omni ex parte trutinata, conscientiosa responsa ad propositas quaestiones Nobis sine mora exhibeant, quatenus ad eas relationem Nostram, Suae Sanctitati substernendam, conformemus.

Denique provocamus religiosissimum Provincialem Ordinis ritus Nostri s. Basilii M., ut capto communi consilio cum suis, secundum ea, quae in litteris Sanctitatis Suae de instauratione hujus Ordinis dicuntur, Nobis relationem exhibere festinet.

Participes facti orationum et obsecrationum Suae Sanctitatis, ut Deus Optimus Maximus uberrima quaeque suae Bonitatis dona super Nos propitius semper effundat, necnon Benedictionis Apostolicae, vicissim non intermittamus omni ardore cordium nostrorum Deum exorare, ut Sanctitatem Suam, Pium Papam IX. concedat Sanctis suis Ecclesiis in pace sospitem, honorabilem, incolumem, longaevum, recte dirigentem verbum Suae Veritatis.

Decaetore, dilectissimi in Christo Fratres, *pax Dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda Vestra et intelligentias Vestras in Christo Jesu.* (Philip. 4, 7.)

Praesentes literas Nostras pastorales Venerabilia Officia Decanalia sine mora distribuent in ambitu Decanatuum suorum, et ad effectuationem Ordinationis Nostrae supra expressae Congregationes Decanales convocabunt.

Dabamus Leopoli ad Ecclesiam Nostram Archicathedralem S. Magni Martyris Georgii die 25 Maji 1862. **Gregorius m p.**

Liturgica.

Agnus Dei.

Nazywają się tak pospolicie figury woskowe, płaskie, okrągłe, różnéj wielkości, na których po jednéj stronie wyciśnięty jest Baranek z chorągiewką krzyżową i w około niego napis: Oto Baranek Boży, który gładzi grzechy świata; pod Barankiem jest zwykle podane Imię Papieża i rok, w którym został poświęcony; po drugiéj stronie jest wizerunek Matki Boskiéj albo innych Świętych. Figury te poświęca sam Ojciec Święty zwykle w Niedzielę Palmową albo w dzień Śgo. Krzyża, dawniéj poświęcał je tylko co siedem lat. Poświęcone jeden z prałatów rzymskich przechowuje u siebie i bezpłatnie między Wiernych rozdaje.

Początek poświęcania *Agnus Dei* pochodzi z pierwszych czasów Kościoła. Z początku w Niedzielę przewodnią (Dominica in Albis) rozdawano Wiernym szczątki paschału w Wielką Sobotę poświęconego, którzy je palili po domach, polach, winnicach i t. p. na obronę przeciw najazdom czartowskim, przeciw burzom i nawałnicom. Tak było poza Rzymem. W Rzymie zaś samym archidyakon brał zamiast paschału; inny wosk czysty, wlewał nań oliwę, wyciskał na nim wizerunek Baranka, potém błogosławił i ludowi wiernemu rozdawał. In *Ordine Romano* przez Gelazyusza Papieża (r. 500.) zebranym czytamy jako starożytny już wówczas zwyczaj: „In eadem Dominica post Albas, idest in Octava Paschae, intra civitatem Romanam dantur *Agni cerei* ab Archidiacono in Ecclesia post missam et communionem popula etc.“ Zwyczaj ten starodawny przechowywany w Kościele Rzymskim nigdy nie był zaniechany i dotąd przetrwał, pisze kardynał Baroniusz (sub Anno Christi 692.), a pod rokiem 58. w rocznikach swoich powiada, że Biały Baranek Boży z paschału zrobiony i przez Papieża poświęcony, dostawali Nowochrzceńcy zamiast sukni białéj, którą w Przewodnią Niedzielę ze siebie składali, i nosili go na szyi, ażeby zawsze mieli przed oczyma Baranka Chrystusa i niewinność Jego na Chrzcie Św. otrzymaną, i w każdéj sprawie byli czystymi, cichymi i pokornego serca, jak on Baranek Wielkanocny.

Wyrabiają się te *Agnus Dei z wosku* białego, czystego, dziewiczego, na oznaczenie natury, jaką Chrystus Pan mocą Boską wziął na Się w przeczystym żywocie Dziewicy Matki, bez żadnego przymieszania lub zmazy. *Obraz* zaś Baranka na nich wyrażonego znaczy tego Baranka Niepokalanego, który dla zbawienia ludzkiego ofiarował się na Ołtarzu Krzyża. Bierze się potém *święcona woda*, albowiem tym żywiołem Bóg poczynił wielkie Sakramenta i wielkie cuda w Nowym i w Starym Zakonie. Miesza się do wody *Balsam* na znak dobréj woni Chrystusowéj, jaką Wierni wydawać z siebie mają w każdéj czynności i obcowaniu. Wlewa się nareszcie *Krzyżmo*, którém się przygotowywują i na służbę Bożą poświęcają: kościoły, ołtarze, kapłani i t. d. i które jest figurą największéj ze wszystkich cnót, t. j. Miłości.

Ojciec Święty, ubrany *pontificaliter* zanurza te *Agnus Dei* w święconéj wodzie, zmieszanéj z balsamem i krzyżmem, i przed jak i po zanurzeniu gorące do Boga zanosi modły; ażeby figury te raczył pobłogosławić i poświęcić i takiéj im udzielił mocy, iżby każdy, kto tylko z prawdziwą wiarą i pobożnością ich używać będzie, dostąpił darów i łask do nich przywiązanych następujących:

I. Ażeby Wierni przez spojrzenie lub dotknięcie się Baranka na tych figurach woskowych wyciśniętego, pobudzeni zostali do rozpamiętywania tajemnic zbawienia naszego, i wdzięcznością przejęci, błogosławili, czcili i kochali Boską ku nam dobroć, i ufali, że przez nią dostąpią odpuszczenia grzechów i że zmażą za siebie wszelkie plamy.

II. Ażeby na znak ożywiającego Krzyża, na tym wosku wyrażonego, zadrżały i pierzchały złe duchy, ustały grady, ucichły wichry, żeby rozpędzone zostały grzmoty, oddalone nawałnice, pioruny i błyskawice.

III. Ażeby dla mocy Błogosławieństwa Bożego nie przemogły zdrady, zasadzki i pokusy czartowskie.

IV. Ażeby położnice wraz z płodem zachowane były i szczęśliwie go na świat wydały.

V. Ażeby nad tym, co ich nabożnie używa, nie miało mocy żadne przeciwieństwo, ażeby mu nie szkodziła ani zaraza, ani morowe powietrze; ażeby wielka choroba nie miała do niego przystępu, ażeby mu nie szkodziła ani burza, ani pożar, ani powódź, ani żadna złość przeciw niemu nie przemogła.

VI. Ażeby był zasłonięty obroną Boską w pomyślnych i przeciwnych razach; ażeby był wolny od ludzkich lub czartowskich zasadzek; ażeby przez tajemnice Życia i Męki Jezusa Chrystusa zachowany był od nagłéj i niespodzianéj śmierci, od wszego złego i wszelkich niebezpieczeństw.

Bardzo często stwierdził Pan Bóg rozlicznemi i wielkiemi cudami, że On Dawca wszelkich dóbr udziela Wiernym tych łask i dobrodziejstw, i że Wierni dostępują ich mocą tym świętym figurom udzieloną przez błogosławieństwo i na prożby, które Namiestnik Chrystusowy, Ojciec Święty, zwykł zanosić w imieniu całego Kościoła przy ich poświęcaniu.

A jeżeli zaś nie zawsze dostępuje się pożądanego skutku, to przyczyną tego jest, nie brak mocy rzeczy poświęconéj, ale słaba lub mała wiara i pobożność używających, albo inna zakryta, Bogu jedynie wiadoma przyczyna.

Jest jeszcze inny rodzaj *Agnus Dei, Paste dè SS. Martiri* (Ciasto śś. Męczenników) nazwany, tego samego, co pierwsza kształtu, tylko ciemnego koloru, które także od pierwszych zaraz czasów rozdawali Papieże Wiernym. Nazywają się ciastem śś. Męczenników, bo się robią z paschałów i prochu z kości śś. Męczenników, i dla tego jak śś. Relikwie mianę są w wielkiém poszanowaniu w Kościele Bożym na dożytek Wiernych Chrystusowych.

Właściciel i wydawca odpowiedzialny X. Prusinowski w Grodzisku. — Czcionkami Drukarni Tygodnika Katolickiego w Grodzisku.